



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Apotheca Spiritualem Pharmacorum Contra Litem Contagiosam Aliosque Morbos**

**Wichmans, Augustin**

**Antverpiae, 1626**

Cap. XLIX. De S. Gertrude Niuellensi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9653**

Pius Papa Secundus anno 1461. in Diuorum numerum retulit. qui de stigmatibus eius in hymno ita canit:

*Quo nequit dici sanctius per orbem  
Vulnerum formam miserata Christi  
Exprimis ipsa.*

---

C A P. XLVIII.

*De S. Gertrude Niuellensi.*

**S**olent & hanc beatam Virginem, nobilem Brabantie nostre plantam, utpote SS. parentum Pipini primi Ducis Brabantiae & Ittae sanctam filiam pij fideles contra pestem inuocare. Originem suam haec deuotio traxit jam ab annis paene quingentis, prout insinuare videtur Conradus à Liechtenauw Ordinis nostri Praemonstratensis in Germania olim Abbas Urspergensis in Chronico suo anno 1199. vbi agens de sacra illa & celeberrima Francorum & Belgarum ad recuperandam terram sanctam profectio, de pestilentia & igne sacro tunc grassante ita scribit: Gallias per annos aliquot nunc feditio ciuilis nunc fames, nunc mortalitas nimis affixerat; postremò plaga illa quae circa Niualensem sanctae Gertrudis Ecclesiam orta est, vsque ad vitae desperationem terruerat. erat autem huiusmodi. Tactus quisquam igne inuisibili quacumque corporis parte, tamdiu sensibili, immò incomparabili tormento etiam irremediabiliter ardebat, quo vsque vel spiritum cum cruciatu, vel cruciatum cum ipso tacto membro amitteret.

H h 2

Testan-

Testantur hoc haecenus nonnulli manibus vel pedibus hac poena truncati, ita Urspergensis. ab illo autem tempore pia haec creuit deuotio contra ignem sacrum ac pestem, sanctam hanc Virginem inuocandi. Potuit que & originem suam habuisse, vt non obscurè innuit Vincētius, ex eo quòd cùm Monasteriũ Niuellense voracibus flāmis jam pænè absumeretur, saeuiente magis ac magis populabundo igne, S. Gertrudis supra refectionarium Monasterij visa fuerit aũno ab eius obitu, decimo, ea forma & habitu quo viuens quondam Christo famulata fuerat, velo suo flammam abigere atque ignem extinguere. Unde postea plurimi tam pro animæ, quàm corporis incolumitate eam visitare & inuocare cœperunt; nempe ab igne materiali contra sacrum ignem antidotum fumentes. Ut vt sit, hoc certò constat non sine pio fundamento piam hanc religionem exortam esse suffragantibus sæpè ad inuocationem sui nominis pijsimæ Virginis meritis, quæ Brabantis tanto cariore esse debet, quòd sterile antea sanctorum solum inter primas sanctitatis suæ germine foecundarit, infinitorum pænè sanctorum sibi cognatorũ consanguinea, vt operam longè utilissimam & Belgio nostro ac imprimis Brabantia maximè honorificam presteret, qui sacram illam genealogiam deducta serie contexeret, ne ceteris Prouincijs sanctorum feracibus nos soli steriliores etiam in Ducum nostrorum familijs appareamus. Nata est Landæ vbi celebre olim erat Pipini primi Ducis Brabantie palatium, sed nunc exiguum est oppidum, nullam habens intra muros parochialem Ecclesiam. Domina fuisse asseritur Bergis ad Zomam, Bergis S. Gertrudis, Niuellis & Vorsti siue Foresti in Campania Brabantina. Obijt anno 664. ipso die Patricij Hybernorum Apostoli, qui in morte ei obuiam iuit, quo declarare voluit quantum sibi placuerit, quod Foillanum & Ultanum

Ultanum aliosque Apostolicos ex Hybernia prædicatores receperit & fouerit. Sæpius enim deprehensum est vt eius sancti natalitio die pij fideles obierint cui magis deuoti in vita extiterant. Louanium prima Ducatus Brabantia & totius Belgij ciuitas, inquit Molanus, eam vt primam Brabantia palmam festo die honorat ex constitutione Honorij Tertij Pontificis Romani.

In natal.  
SS. Belg.  
17. Martij  
& lib. de  
piet. c. 61.

Pingitur, inquit idem, cum muribus; quod nihil aliud significat nisi quod sancta Virgo diabolum, qui per tales bestias tenebras diligentes designatur, superauerit, & quod alios quoscumque potuit, de tenebris ad claritatem æternæ lucis per suam sanctam vitam & doctrinam reuocare studuerit. Dicitque se audiuisse à quodam Canonico Ecclesie Niuellensis (est enim ibi Capitulum vtriusque sexus in quo Canonicæ eaque nobiles & sæculares digniorem locum obtinent) ex antiqua traditione à senioribus suis confratribus accepta, de puteo qui est in crypra Ecclesie, maiores solere aquam adferre qua cum aspergerent domos suas & agros, liberabantur à muribus. Sed nunc, addebat, refrigercente multorum caritate, sicut alibi, sic & in nostra Ecclesia cessant miracula.

## CAP. XLIX.

*De S. Digna Gelensi.*

**P**eccabo & grauiter, ô candidissimum virginitatis lilium inter spinas gentilitatis ortum, & rubicunda proprio sanguine innocenter ab incesto patre purpurata rosa, si te huic sacro choro non adiunxero. Tu enim Campanie nostræ Brabantina primiceria Virgo Martyres, & vicinie nostræ Gelensis municipij sacra In-

H h 3.

qui,